

Viso insuper et considerato periculo huic Regno imminenti, cupientes eciam Votibus Regietatis obsequi, amore denique patrie, et pro Salute ac defensione nostra vires ac facultates nostras exponere volentes, statutum est, ut statim et de facto octingenti Equites et ducenti pedites pixidarii conducantur, conseruenturque, et ad Regni defensionem teneantur. Quibus licet iuxta Regni consuetudinem e medio vniuersitatis nobilium Capitaneus eligi debebat, tamen quia gentes tam repente prout necessitas exigebat inuenire non poterant, requisiuimus dominum Ludouicum pewkry, ut sua dominatio auxilio eciam ceterorum dominorum gentes ipsas conducat, et eis presit, curamque eorum in se assummat, ita tamen, ut si Regietas sua Magnificum dominum ad aliqua alia seruicia ponere voluerit, libere sua dominatio illo se conferat, et quod assumpto prescriptorum dominorum consilio, habita eciam mutua intelligencia cum domino capitaneo Regietatis, vbiique dum opus fuerit, in defensione Regni, penes eundem capitaneum, cum prescriptis gentibus et aliis quoque, quas si leuauerimus, assistat. Conclusum eciam est, ut omnes domini ac Nobiles de Singulis decem sessionibus, iuxta numerum presentis dicacionis, vnum peditem pixidarium semper paratum, Similiter nobiles vnius Sessionis, de singulis decem Sessionibus debeant conseruare. Ut cum primum de consilio ac voluntate prescriptorum electorum dominorum comissum et proclamatum fuerit, statim huiusmodi pedites, ad diem et locum per eosdem prefixum et deputatum, statuere et bene solutum mittere debeant et teneantur. Quibus similiter idem dominus Ludovicus pewkry preesse debebit, eosque dirigit, habita tamen semper mutua intelligencia cum domino Capitaneo et assumpto consilio dominorum. Preterea ut omnes domini nobiles et Regnicole ita parati se teneant, ut si necessitas postulauerit, statim viritim surgere et contra hostem proficisci valeant. Rogamus insuper et supplicamus, ut dominus Caczyammer (sic) Capitaneus Regietatis residuam partem gencium, per Regietatem ad nostri defensionem oblatorum, que nondum aduenerunt, pedites et armigeros sine mora adducere et confinia locaque ad id necessaria ponere velit.

Item quod presens subsidium vnius floreni, ad Conseruacionem gencium impositum, infra octauum diem presentis Congregationis ad manus domini Emerici Bradacz Thesaurarii Regni administretur; peracto ipse octauo die idem dominus Thesaurarius homines suos, cum Judicibus Nobilium, more alias consveto, ad depredacionem bonorum, subsidium ipsum persolui negligentium, mittere debat; vbi vero idem dominus Thesaurarius homines suos ad huiusmodi Exequacionem administracionemque prescripti subsidi contra quoscumque non sufficeret: Extunc dominus Ludovicus pewkry, cum consilio dominorum, eidem Thesaurario auxilio prestare teneatur.

Moneta autem Germanica et Hungarica vbiicumque in suo valore ac genere recipiatur et currat. Victualia vero cuiusvis generis existant iuxta limitacionem et Regestrum inde factum, per gentes prescriptas soluentur, et gentes ipse vbiicumque pecuniis utantur. Si quis autem illa violenter receperit, puniatur iuxta demerita.

Ad Limitacionem et estimacionem victualium det dominus Capitaneus duas personas, Quibus adiungendi sunt nostri ad id electi homines ac Judices nobilium. Qui tandem, considerata et gencium copia et victualium quantitate, faciant de eis limitacionem et Estimationem, penes quas et in Castris et corpore Regni venari possint.